



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

7 Februarij. 7 Idus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

one, sermone. Habitu, ne sit notabilis;
actione, ne sit reprehensibilis; sermo-
ne, ne sit contemptibilis.

(☉)(☉)(☉)(☉)S(☉)(☉)(☉)

7 Februarij. 7 Idus.

BNIVARDE, Magni Patriarchæ *Floruit*
BERNARDI frater sanguine, Re- *anno*
ligione fili: qui à sancta parente tua in 1160,
ipso vitæ exordio Divinæ tutelæ do-
natus & consecratus, innocentissimè
primos pueritię años percurristi. Cùm
reliqui fratres tui BERNARDO duce
Cistercium properantes, tibi uni pater-
næ hereditatis bona se relinquere dice- *sapiens*
rent; minimè pueriliter ijsdem respon- *pueri*
disti: Non ex æquo dividi affem; dum *dictum*
illi cælum raperent, te terræ scriberent
heredem. Quare hac sorte nequaquam
contentus, mox ut per ætatem licuit,
fratres secutus, eos sublimis sanctimo-
niæ spiritus à BERNARDO imbibisti;
qui deinde totam Hispaniam impleve-
runt. Æterna virtutum tuarum mo-
numenta istis adhuc temporibus splen-
descunt: præsertim in augustissimo de
Spina monasterio: in quo, juxta san-
ctissimi germani vaticinium, corporis
mortalis sarcinam deposuisti. *Tangatur*

Hereditas cęli. *cor tuum piissimum fraterno commiserationis affectu, erga me indignissimum licet fratrem tuum, & filium Bernardi: & qui jam securè gaudes ea, quam elegisti, hereditate; me virtute ex alto conforta: ut ad eandem per tua vestigia pertingam.*

Circa annum 1200. B. REYNERI: qui susceptis aliquot ex sancto matrimonio liberis, decedente uxore, Villarij inter humiles conversos nulla non austeritate & cruciatu carnem spiritui subjugabas. Quæ pietas, quàm accepta DEO fuerit, uni ex filijs tuis cęlesti oraculo fuit manifestatum. Quòd nimirum lachrymis tuis animam ad tam nitidum candorem emundaveris; ut absq; ullo flammæ piacularium impedimento, recto ad cœlum itinere sis perrecturus.

Lachrymarum efficacia. *Aperi hunc in me saluberrimum lachrymarum fontem: fluat perenniter hoc necessarium conscientie meæ, sordibus plene, lavacrum: nec permitte, ut ultrà committam aliquid lachrymis dignum.*

Lachrymarum lavaciū *S. BERNARDUS, ser. 45. de divers.*

Conscientia bona. *Conscientiam bonam faciunt duo: Pœnitentia, & Continentia. Quando scilicet per pœnitentiam peccata commissa punimus; & per continentiam deinceps punienda non committimus.*

8 Febru-